

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 18: De contemplatione (18)

Idem (Gregorius) sexto moralium:

Qui contemplationis arcem tenere desiderant,
prius se in campo actionis exercent et per exercitium probent,
videlicet ut solliciti sciant, si nulla iam mala proximis irrogant,
si irrogata a proximis equanimiter portant,
si obiectis rebus nequaquam mens letitia solvitur,
si subtractis nimio merore sauciantur,
aut demum perpendant si cum ad semetipsos retrorsus redeunt,
in eo quod spiritualia rimantur ambigunt.

Ex hoc ergo exercitium vite active confert ad contemplativam,
quod quietat interiores passiones,
ex quibus phantasmata proveniunt,
per que contemplatio impeditur.

Unde Gregorius dicit, in VI *Moral.*:

*Cum contemplationis arcem aliqui tenere desiderant,
prius se in campo per exercitium operis probent:
ut sollicite sciant si nulla iam mala proximis irrogant,
si irrogata a proximis aequanimiter portant,
si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens laetitia solvitur,
si subtractis non nimio maerore sauciantur.
Ac deinde perpendant si, cum ad semetipsos introrsus redeunt,
← in eo quod spiritualia rimantur,
nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt,
→ uel fortasse tractas manu discretionis abigunt.*

Ex hoc ergo exercitium vitae activae confert ad contemplativam,
quod quietat interiores passiones,
ex quibus phantasmata proveniunt,
per quae contemplatio impeditur.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*, 182.3
(P. Caramello ed., p.791).

Qui igitur culmen apprehendere perfectionis nituntur,
cum contemplationis arcem tenere desiderant,
prius se in campo operis per exercitium probent
ut sollicite sciant si nulla iam mala proximis irrogant;
si irrogata a proximis aequanimiter portant;
si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens laetitia solvitur,
si subtractis non nimio moerore sauciantur;
ac deinde perpendant si cum ad semetipsos introrsus redeunt,
in eo quod spiritualia rimantur,
nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt,
uel fortasse tractas manu discretionis abigunt;
si incircumscriptionem lumen videre cupientes,
cunctas circumscriptionis suae imagines deprimunt,
et in eo quod super se contingere appetunt, uincunt quod sunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 6.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed.,
p.329, ll.142-153).